



1773, 6

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIS
CIVILIS

DE

SENATVSCONSVL-
TORVM
VI ET AVTORITATE

Q V A M

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN PERANTIQA ELECTORALI MODO INSTAVRATA
EMMERICIANA ACADEMIA ERFVRTENSI
P R A E S I D E

FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO

DN. RVDOLPHO CHRISTOPH.
HENNE, IC^{TO}

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIIS ELECTORIS MOGYNTINI
CONSILIARIO REGIMINIS, FACVLTATIS IVRIDICAE ET IVDICII PRO-
VINCIALIS ADSESSORE, CODICIS ET IVRIS FEVDALIS

PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,

PRO GRADV DOCTORIS
RITE OBTINENDO

DIE IV. OCTOBRIS ANNO MDCCLXXIII.

DEFENDET

A V T O R

IOANNES FRIDERICVS HAMMANNI

BVDISS. LVSAT.

ERFORDIAE, LITERIS HENRICI RVDOLPHI NONNII,

ACAD, A TYP.



DISERTATIO WOLFFII
CIVIS

LEONATI CONSERVATI
TORVM
METHVNIATI

CONSERVATI TORVM
METHVNIATI

LEONATI CONSERVATI
TORVM
METHVNIATI

CONSERVATI TORVM
METHVNIATI

LEONATI CONSERVATI
TORVM
METHVNIATI

CONSERVATI TORVM
METHVNIATI

LEONATI CONSERVATI
TORVM
METHVNIATI

CONSERVATI TORVM
METHVNIATI





DE

SENATVS CONSVLTORVM
VI ET AVTORITATE.

S. I.

Introitus & scribendi occasio.



Sollicitus de argumento libelli academici, incidi maxime in BACHII Icti quondam Lipsiensis libellum elegantem, quem de Iurisprudentiae ciuillis fatis atque omni historia scripsit. Quamuis vero ego is non sim, qui iudicium de tanti viri eruditione ferre possim,

A 2

sim,

sim, tamen non nego, displicuisse inter alia ex nouaturiendi studio defensam sententiam, qua Amplissimo Ordini Romae sub libera republica, contra omnem reliquorum & veterum & recentiorum eruditorum fidem, *nomotheticam auctoritatem* absque omnibus limitibus tribuit. Cum argumenta ab eodem adducta atque quibus vel communem sententiam refutare annitur, vel nouam suam probare tentat, ita sint comparata, vt nullo modo omni exceptione maiora dici possint, non inutile erit, hanc sententiam accuratius paululum examinare, atque communem sententiam, antiqua probando, contra nouam defendere, hancque scribendi nostram facere materiam. Cum vero integra illa controuersia commode intelligi nequeat, nisi praemissa breui tractatione, quae fata Senatusconsultorum illustrat, neque historiam ipsius amplissimi ordinis dabimus, dedit enim *Joan. Sarius ZAMOSCIVS de Senatu Romano Lib. II. Venet. 1563.* editis, quos dein *CLAVSINGIVS* collectioni suae inseruit, quae tractatus continet *de Iure Publico Romanorum*, neque dabimus historiam ipsorum Senatusconsultorum, quippe quae vel apud eos euoluenda, qui iuris ciuillis historias scripserunt, vel a *Paul. MANVTIO, in antiquis. Romanis Lib. II.* & peculiari libello a *Franc. HOTTOMANNO* & ab eruditissimo Episcopo Tarraconensi *Antonio AVGVSTINO* de *Senatusconsultis* tradita est. Breuiter ergo ea tantum tangamus, quae ad nostram causam diiudicandam faciunt.

§. II.

Scitorum vis & auctoritas sub regibus.

Romulus cum suam Albanorum coloniam duxisset Romam, quae testibus *DIONYS. Halicar. in Antiqu. l. p. 59. VARRONE de Ling.*

Ling. lat. p. 21. & FESTO v. Romulus ante Romulum extiterat,
eamque ordinasset, simul de Senioribus centum elegit, qui vel
patres vel Senatores dicerentur, quibusque id dedit officium, ut
consilia secum caperent, populo vero legum sciendarum ius
dedit, institutis comitiis curiatis. Ex hac prima Senatus ordinis
instituzione facile patet, tunc νομοθεσίας ius Senatui non com-
petiisse. Illud vero ius προβαλέματις Senatui exercuisse, quo-
ties a regibus leges ferrentur, minus dubitandum; cum consilio-
rum capiendorum causa a Romulo lecti erant. Hinc sine du-
bio DIONYSIVS *Halicarnass. Lib. II. p. 87.* Senatui vocat:
συεδριον τῆς Βουλῆς Refert enim de constitutis a Romulo Sena-
tus muneribus: τῶ τὲ συνεδρίῳ τῆς Βουλῆς τιμὴν καὶ δυνατεῖαν ἀπέ-
δωκε τοιαυτὴ περὶ πάντος, ὅτου ἀν εἰσηγήται βασιλεὺς διαγνώσκοντες
καὶ ψῆφον ἐπιφέρειν καὶ ὅτι ἀν ὀξὴ τοῖς πλείοσι, τοῦτο κινῶν κ. τ. λ.
i. e. Senatui vero amplitudinem & facultatem dedit hanc, ut de omni-
bus de quibus rex ad eum referret, de iis decernerent, & suffragia fer-
rent, & plurima semper vincerent. Atque in hoc iure ordi-
ni dato quidquam immutasse, aut maius ius dedisse ipsi
amplissimo ordini Romuli successores, ex historicis monumentis
non constat, imo potius contrarium elucet. Et quamvis POMPO-
NIVS in *L. I. §. 1. π. de Or. iur.* omnia dicat manu a regibus gu-
bernata; tamen hoc ipso Senatusconsilium seu προβαλέμμα haud
excluditur, neque videntur haec verba de omnimoda reipubli-
cae administratione intelligenda esse, sed potius ad iuris dicundi
potestatem referenda. Ipsa POMPONII verba id clare docent: *Et*
quidem, ait, initio civitatis nostrae populus sine lege certa sine iure cer-
to primum agere instituit, omniaque manu a Regibus gubernabantur.
Facile patet, coepisse Romulum iudicia habere ex sua potestate,

licet deficerent leges & iura, ex quibus agendum fuisset. Sane hoc certum est, non posse ex his verbis probari, administrationem reipublicae inconsulto Senatu a Romulo susceptam fuisse, cum ex loco Dionysiano contrarium constet. Primus, qui hoc Senatui Romano competens ius superhabuit, absque omni dubio fuit TARQUINIVS SUPERBVS, vltimus Rex, quod ex DIONYSIO *Halicarnass. Lib. 4. p. 145.* probo. Nam vbi de Senatoribus agit, *τοτε μαδόντες*, inquit, *ὅτι τῶν κοινῶν οὐδὲν ἔτι μετέρχον*, i. e. tunc sentientes, nullam partem sibi publicae administrationis superesse. At senatum iura sub regibus constituisse eo minus probabile, cum in comitiis ipse populus legum conditor fuerit, vbi quae a regibus afferebantur, populi suffragio confirmabantur, legumque auctoritate munebantur. Ita sane sub regibus.

§. III.

SCrorum Auctoritas sub libera republica

Eiecto vero Tarquinio Superbo atque mutata reipublicae forma, nullam mutationem passus esse videtur Amplissimus ordo, imo quae ante Tarquinium iura habuerat restituta accepit. Nam quae tunc in republica mutatio fuit, constitit in eo, vt quale imperium antea rex habuerat, id duobus Consulibus electione a populo in comitiis facta in annum tantum conferretur, egregio consilio, ne continuatione diuturniori sibi maiorem auctoritatem sumerent, neue facile de supprimenda libertate cogitare possent, cum facilis dissensus inter utrosque perniciosâ in rempublicam consilia infringere posset. Cum ergo de rebus publicis priuatisque antea reges ad Senatum referrent, iam Consules referebant.

Rectus

Rectus ergo mihi est egregie eruditus SCHVBARTH *de Fatis Iurisp Exerc. II. p. 123.* qui ex Dionys. Halicarnassensi probat, *Senatusconsultorum non fuisse maiorem vim in libertate, quam quae fuerat sub regibus.* Iam vero cum constet sub regibus haud competiisse *νομοθεσίας* ius, sed deliberandi potestatem, quid e republica esset, quo dein rex per populi suffragia legem ferret: concludimus neque sub libera republica nomothelias ius competiisse, sed mansisse deliberandi facultatem. Caeterum negari nequit, certam curam in rebus publicis administrandis commissam fuisse Senatui. Collegit eas causas Senatui commissas HEINECCIUS in *Hist. Iur. I. cap. III. §. CXI.* ubi scribit: *Erat tum Senatui ius deliberandi de republica, administrandi aerarium, curandi opera publica, delicta extra Romam in Italia admissa persequendi, gliscientes in Italia controversas componendi, legationes decernendi audiendique, indicendi ferias & supplicationes, disponendi de provinciis.* Mirum itaque non videbitur, si de iis rebus, quae suae curae atque administrationi commissae erant, Senatusconsulta fecerit, quae quidem leges atque iura uniuersalia in republica haud conficerent, sed quae normae essent, ad quas dein singulis Senatoribus res tractandae curandae administrandaeue essent, imo ad quas dein ipse ordo agere res sibi commissas debebat. Caeterum quae circa leges atque iura facienda potestas fuerit Senatui romano sub republica libera, patet ex DIONYSIO *Halicarn. Antiq. VII. p. 447.* *Δύνασθε δὲ ἀν καὶ αὐτοὶ τῆτο μαετυρεῖν, ὅτι ἐξ ἑ τήνδε τήν πόλιν ἐκτίσαν ὑμῶν οἱ πρόγονοι τοῦτο τὸ γένος ἔχουσα ἡ βουλὴ διατετέλεκεν, καὶ οὐδεν πάποτε ὁ δῆμος, ὅτι μὴ πρὸς βελεύσει ἐν ἡ βελί ὅυτε ἐπέμνηεν ἔτε ἐπεψύφισεν, ἔχ ὅτι νῦν ἀλλ' εὐδὲ ἐπὶ τῶν βασιλέων τὰ δὲ ἄλλα ὅσα τῶ συνεθρία δόξετε, ταῦτα οἱ βασιλεῖς εἰς τὸν δῆμον ἐκφέροντες ἐπεκέρου, i. e. Ροσεισ*

testis autem vos ipsi testari, semper a quo a maioribus nostris urbs condita, hunc honorem Senatui habitum, ut, nisi prius Senatus deliberauerit, neque decretum, neque approbatum sit quidquam populi suffragiis, non modo nunc, sed etiam sub regibus. Illi enim quod Senatui placuisset, ad populum referebant, atque ita ratum faciebant. Fuit ergo Senatui in legislatorio iure potestas quaedam consultoria, ut iure populus vix rogari potuerit, nisi senatus antea autor fieret. Neque id ex solo hoc Dionysiano loco probari poterit, testantur praeterea LIVIUS *Lib. I. cap. XVII. & Lib. VIII. cap. XII.* PLYTARCHVS in *Coriolano p. 227.* & maxime CICERO in *Bruto cap. XIV.* Imo leges ipsae populi hanc senatus auctoritatem in ferendis legibus necessariam constituere, quod patet ex lege PUBLILIA a Dictatore Publilio Philone lata, tunc cum altera vice contentio inter patres & plebem existeret, de Plebiscitorum autoritate. In hac enim lege PUBLILIA A. V. C. ccccv. lata sancitum, VT PATRES LEGVM QVAE COMITHS CENTVRIATIS FERRENTVR, ANTE INITVM SVFFRAGIVM AVTORES FIERENT, teste LIVIO cit. *L. VIII. cap. XII.* Reuocavit in usum atque confirmavit hoc legis argumentum A. V. C. cccclxvii, noua lex MAENIA teste CICERONE *Brut. cit. cap.* Cum enim nouus tumultus in republica exortus contra Patres, qui plebiscita superhabebant, eiusque tumultus causa Q. Hortensius dictator dictus esset, isque & *Valeriam, Horatiam, & Publiam* leges de plebiscitis, quae omnes Quirites tenerent, diligentius sua lege *Horatia* sanciuisset; successit fere post biennium illa MAENIA a C. Maenio tribuno plebis lata, qua sancitum nouiter, VT PATRES IN EVENTVM COMITIORVM AVTORES FIERENT. Nisi ergo senatus

natus auctoritas in legum rogationibus necessaria fuerit, vix populus suis suffragiis comprobasset, vt patres in euentum auctores fierent. Equidem poterant & Publilius & Maenius vtrique eo respexisse, vt Patribus adimerent facultatem se plebiscitorum obligationi subtrahendi, quippe tunc ex suo simul consensu se obligatos putare deberent; sed autoritas Dionysii sola hanc sententiam confirmare poterat.

§. IV.

Relatio sententiae Bachii.

Non ergo ipse senatus iura constituerebat, sed de constituendo iure statuebat, an populus rogandus esset nec ne. Et ita omnes prope eruditi hactenus sentiebant. Soli BACHIO *in Hist. Iur. Lib. II. cap. II. sect. II. p. 195. seqq.* contrarium verius esse placuit, adserendo, etiam sub libera republica senatusconsultorum tantam fuisse auctoritatem, vt iis iura in republica constituerentur. Concedit quidem omnes eruditos negare, sed & horum probationes refutare annititur, additis suis argumentis, quibus contrariam nouamque suam confirmare credit sententiam. Cum haec scribendi primaria causa fuerit, nostrum erit officium, eius refutationes accuratius examinare, probationes vero refutare.

§. V.

Argumenta pro Bachii sententia & eorum refutatio.

Cum ii qui communem sententiam defendunt senatus ius
νομος negantes ad Dionysium Halicarnassensem confugiant,
 B ant,

ant, BACHIO is locus ex oratione Consulis petitus nullius momenti videtur, quippe eludere Consul sua oratione studuisset senatusconsultum ante se factum. Res ita se habet. Scribit DIONYSIVS Halicarnassens. Lib. IX. p. 595. Cum tribunus plebis Cn. GENVCIVS autor suaforque esset Plebi, vt agri ex autoritate Scti diuidendi diuiderentur, Consules L. AEMILIVS, MAMERCVS & VOPISCVS VLIVS δοχ υπήκουον ε τῇ ἐαντων ἀρχῇ λέγοντες τεράχθαι τὸ ἔργον ὑπὸ τῆς βουλῆς, ἀλλὰ τοῖς μετὰ κἀσσιν καὶ Οὐρεργίῳ ὑπάτοις, πρὸς ὅσ το προβούλευμα ἐγράφη καὶ ἅμα ὁδὲ ἔκει νόμος εἰς αἰ κνρίοις ἀ ψήφίζεται τὸ συνέδριον, ἀλλὰ πολιτεύματα κνρὸ ἐκασίον ον ἔχοντα ἰσχύν i. e. Negabant ad se pertinere quod alieno consulatu decretum esset, & Cassii Virginiique successoribus demandatum; ad eos enim id Sctum pertinere, nec senatusconsulta perpetuae legis vim habere. Equidem adstipulor BACHIO, ex hoc loco non posse probari vim omnium Sctorum fuisse tantum autoritatem annuam; neque enim haec consultum, neque etiam ipsius DIONYSII mens fuisse videtur, at postea probabimus, quid caussae sit, quare Sctorum quorundam vis & autoritas perpetua sit. Sed cur neglexit BACHIVS alium apud DIONYSIVM locum qui extat Lib. VI. p. 302. aiunt Consules ἴτε δὴ που νόμον ἡμῶν υπάεχοντα ἐξ ὅ τὴν δε ἀκούμεν τὴν πόλιν πάντων ἔκει κνρίαν τὴν βουλὴν, πλὴν ἀρχοῖς ἀποδέξαι, καὶ νόμους ψήφισαι, καὶ πόλεμον ἐξενεγκεῖν, ἢ τὸν συνεῶτα καὶ ταλῶσαθαι. Τούτων δὲ τῶν τριῶν τὸν ἄμιν ἔχει τὴν ἐξουσίαν ψήφον ἐπιφέροντα. Ἐν δὲ τῷ παρόντι δοχ υπὲρ ἐτέρευτινὸς ἢ πολέμου καὶ εἰρήνης βουλευόμεθα. Ὡτε πολλὴ ἀνάγκη τὸν ἄμιν ἐπικινῶσαι τὰς ἡμετέρας γῆρας, ψήφον γεόμενοι κνρίον κ. τ. λ. i. e. Scitis nobis legem esse iam ab inde ab urbe condita, quae omnia in Senatus potestate ponit, praeter magistratum creationem, legum lazionem, & bellii inferendi deponendique arbitrium. Horum trium

potestatem esse penes populi suffragia. Nunc non de alio consultatur, quam de bello & pace. Quare necesse est, ut praemissis populo suffragiis nostrae ab illo sententiae confirmentur. &c. Quid clarius, quam ipsos consules negare legum lationem Senatui. Comparant ius legum ferendarum cum iure creandi magistratus & decernendi bellum & pacem. Omnia adserunt in senatus potestate esse, quae scilicet ad administrandam rempublicam faciunt, tribus his iuribus maiestaticis primariis exceptis. Cum ergo populo tantum competierit ius ferendi leges per suffragia, quomodo unquam senatus suis efficere statuereque potuisset SCtis iura? Et quomodo poterat BACHIVS oblitus fuisse legum decemviralium, quas Tab. XI. continebant: QVOD POPVLVS POSTREMVIVSSIT, ID RATVM ESTO. Nihil de patrum iussu, cuius Decemvirii, tunc tantopere Aristocratias studiosi, mentionem haud omisissent, si unquam inter iura senatus facultas leges atque iura sancienti extitisset. Neque adest causa cur DIONYSII testimonio, cui alias ipse BACHIVS tantam fidem tribuit, fidem negemus. Dein argumentum, quod communi opinioni opponi possit, in eo inuenisse putat BACHIVS, quod vetera SCta legibus abrogata essent, & exemplo legis AVFIDIAE probat, qua SCrum abrogatum de feris bestis ex Africa non adportandis. Efficit haec sua probatione, ut verum reputetur, SCta ultra annum durasse, sed haud efficit, ut SCtis iura scripta esse populo romano credamus. Nam si in certis suae curae demandatis causis suis suffragiis patrum Ordo amplissimus normas constituere potuit, poterant haec normae ultra annum durare, at quis inde deducat Senatum leges & iura populo scripsisse? Non ergo his suis argumentis BACHIVS aduersariorum fregit probationes.

S. VI.
Continuatio.

Neque suae probationis maior vis est, quam refutationis. CICERONEM in *Topicis Cap. V.* allegat. videamus an ipsius adstipuletur sententiae, vel nouam illam opinionem probet. Ait Orator: *Ve si quis ius civile dicat id esse, quod in Legibus SCtis, rebus iudicatis, peritorum autoritate, edictis magistratum, more, aequitate consistat, cer.* — — MIRROR BACHIVM sui argumenti fragilitatem haud obseruasse. Nam si ex hoc CICERONIS loco iurium condendorum potestas Senatus Romani probari posset, eadem facilitate probari posset, res iudicatas, responsa Iure Consultorum, magistratum edicta, imo ipsam aequitatem, ad scriptum ius referendum esse, & hinc non tantum magistratus, sed & indices, qui super iure dubio decernebant & iurisperiti legislatorem habuissent potestatem. Equidem scio *νομoδωτικων* tribui Praetoribus aequae ac Iureconsultis. Sed videamus, quo sensu, & an SCta, edicta magistratum, responsa prudentum a IVSTINIANO recte referantur inter iuris scripti partes. Obseruavi nomen legislatoris apud veteres non semper esse maiestatis vocem, sed saepius eos quoque legesatores dici, qui formulam ad legem perferendam proponunt, quo a maiestate dein suo suffragio autoritatem scripti iuris obtineret. Sic apud Graecos legesatores formulas legum conscribent, maiestas, siue ea fuerit in populo, siue in Aristis, confirmabat. Eadem ratione apud Romanos leges ferebant consules, non quod ipsis maiestas fuerit, sed haec populi erat, sed quod autores essent legum, quae a maiestate seu populo romano dein suffragiis ipsius in

in comitiis leges fiebant. Patet itaque, legislatorem improprie cum dici, qui efficit, ut argumentum aliquod per maiestatis consensum vim legis seu iuris, siue scripti siue non scripti, obtineat. In hoc sensu tam magistratus quam iureconsulti poterant legislatores adpellari, illi, quod vel scriptas leges rogabant, vel edicta proponebant, quae tacito populi consensu vim iuris non scripti obtinerent, hi, quod vel formulas legum rogandarum conficiebant, vel interdum autores erant sententiae, quae, cum per iudicata recepta fieret, vim haud scripti iuris obtineret. At vero in proprio sensu, quod scriptum ius & magistratus & iudices & iuris consulti dederint, vel dare poterint, ei videbitur absolum, qui reipublicae & maiestatis veram notionem & ideam ex principiis iurispublici vniuersalis hausit. Hinc peccasset IUSTINIANVS, qui ad Iuris scripti partes Edicta, SCta, responsa prudentum reuulit, si illius verba generaliter intelligenda forent. Poterat Edicta Iuris scripti partem suo tempore nominare, cum iam HADRIANVS collecta Praetorum Edicta a IULIANO Iure Consulto Praetore designato, sub nomine Edicti perpetui, auctoritate iuris scripti muniuerit, oratione habita in senatu, & ad eam SCto facto, quae tunc legum perfectendarum ratio erat. v. *Iac. GOTHOFREDVS Comm. ad Tit. de Reg. Iur. p. 449.* At ante illa tempora annum ius tantum edicta conficiebant, & ut ipse monet BACHIVS in *Hist. Iur. p. 215.* moribus & vsu vim iuris certi & perpetui constituebant. Non ergo veri legislatores erant, sed tantum iuri non scripto causam dabant & originem, effectum dein. conferebat tacitus populi & postea imperatorum & Senatus consensus. Sunt quidem eruditi, qui propterea responsa Ictorum inter partes

iuris scripti referunt, quod ab AVGVSTO iudicibus id impossi-
 tum, ne a responsis ICTorum, qui ex AVGVSTI beneficio facultatem
 respondendi de iure obtinuerant, recederent. Constat enim AVGVSTVM ex
 prudentissimo consilio non amplius permisisse, vt quod antea moris erat,
 quisque, qui sui fiduciam habebat, facultatem de iure respondendi
 exerceret, sed hanc potestatem certis tantum viris beneficii loco
 dedisse, vt recte sentit HEINECCIUS in *Histor. iur. Lib. I. §. CLXXVIII*: qui POM-
 PONI in *L. 2. π. de Or. iur.* allegatam causam & veram dissimulatam
 notat. Sed quidquid sit, licet etiam Iudices a responsis prudentum
 non recedere debuerint, quod tamen nescio, an omnino semper obseruatum
 fuerit, si actor responsum exhibuerit datum ab Ateio Capitone, reus
 contra a Labeone Antistio, quos utrosque ICTos Sectae studium
 dissentientes fecerat, propter quod etiam diuersa esse poterant
 responsa; tamen exinde responsa ius scriptum efficere non poterant,
 quippe normam tantum faciebant sententiae in ea causa, in qua
 datum responsum, quae vero sententia dein vim obtinebat ex iudicato,
 & sic abibant responsa in sententiam receptam, quae magis consuetudine
 seu maiestatis taciturnitate vim iuris obtinebat, vt exinde scriptum
 ius responsa haud fuerint. Quapropter potius in eam dilabor sententiam,
 ab Imperatore IUSTINIANO Iurisconsultos inter scripti iuris autores
 relatos, quod ex autoritate VALENTINIANI & THEODOSII in subsidium
 iuris scripti vim obtinuerint quorundam ICTorum scripta & responsa.
 Ipsam dabitur Constitutionem, quae est *L. unic. C. Theodos. de Resp. Prudent.*
 Verba sunt: *Papiniani, Pauli, Cui, Ulpiani* atque *Nodestini scripta*
minersa firmamus. Ita vt Cuium atque Paulum Ulpia-

Ulpianum & caeteros comitetur autoritas lectionis, quae ex omni
 ejus opere recitetur. Eorum quoque scientiam, quorum tractatus
 atque sententias praedicti omnes suis operibus miscuerunt, ratam
 esse censemus, ut Scaevolae, Sabini, Iuliani atque Marcelli, omni-
 umque quos illi celebrarunt. Si tamen eorum libri, propter anti-
 quitatis incertum, codicum collatione firmentur. Vbi autem di-
 versae sententiae proferuntur, potius numerus vincat autorum:
 Vel si numerus aequalis sit, eius partis praecedat autoritas, in
 qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat, qui ut singulos
 vincit, ita cedit duobus. Notas enim Pauli atque Ulpiani in
 Papiniani corpus factas, sicut dudum statutum est, praecipimus in-
 firmari. Vbi autem pares eorum sententiae recitantur, quorum
 par censetur autoritas, quod sequi debeat, eligit moderatio indi-
 canis. Pauli quoque sententias semper valere praecipimus. Dat.
 VI. Idus Novbr. Ravennae Theodos. August. v. n. & Valenti-
 niano II. C. SS. Et licet postea IUSTINIANVS in libr. I. C. de
 veter. Iur. enucl. quae est constitutio illa Deo auctore, hanc le-
 gem Valentinianam & Theodosianam abrogauerit, tamen re-
 sponis & scriptis veterum Ictorum autoritatem non imminuit,
 sed sua collectione Digestorum magis confirmavit, cum omnia
 sua faceret atque vellet, ut in subsidium aequae loco iuris scri-
 pti haberentur. Hoc effecit, ut recte Responsa prudentum
 inter partes iuris scripti suo tempore referre possent. Neque
 me mouet autoritas PAPINIANI, in Leg. 7. π. de Iust. & Iur.,
 qui ad ius civile prudentum autoritatem refert. Recte enim
 dixerat, salua nostra sententia, cum iuris ciuilis duae sint po-
 sitiones, quippe illud vel ἑγγεῶρον vel ἀγγεῶρον, & Papiniani
 acta-

actate ad ius non scriptum referenda responsa & scripta Iuriconsultorum.

§. VII.

II.) *Continuatio.*

Recte ergo CICERO *c. l.* ad Ius civile eadem ratione referre Senatus Consulta poterat, qua edicta magistratum, peritorum auctoritatem, res iudicatas, mores & aequitatem retulerat, quae tamen omnia suo tempore ius civile scriptum nequam efficiebant. Sed quo hanc probemus nostram sententiam, prouocamus ad eundem CICERONEM, in *Orat. pro Milon. C. XXII.* Nam memorat TACITVS *Annal. Lib. II. cap. 30.* Senatusconsultum vetus quo cautum: NE DE SERVIS IN DOMINVM QVAESTIO HABERETVR, cuius iuris vim obligandi Arpinatensis orator *c. l.* solis moribus tribuit, quippe ipse bene gnarus erat, Senatum ius facere non posse, sed vel expresse vel tacito populi consensu illud introducendum, quod fiebat, si Senatusconsulti argumentum vsu obseruabatur, idque fieri populus patiebatur, tunc enim in moribus maiorum positum dicebatur. De iure honorario & prudentum autoritate & fori disputatione idem adfirmat BACHIVS in *Hist. Jur. p. 265.* qui cocutiens non peruidit eandem in SCTis rationem adesse. Nihil ergo probat BACHIVS ex CICERONE, quod sibi probandam sumserat.

§. VIII.

§. VIII.

III. *Continuatio.*

Aliam viam ingreditur Bachius, quam supra ipsi tetigimus, videlicet quod SCTum vetus expressa lege abrogatum sit exemplo L. AVFIDIAE. Sed quis dubitabit ius non scriptum aliquod noua lege abrogari posse, sicuti lex scripta consuetudine inumbratur. Si enim consuetudo pro iure & lege observari solet, teste VLPIANO in L. 23. 7. de LL. nonnisi nouo iure siue expresso siue tacito populi consensu poterat aboleri. Haec causa legis Aufidiae, vt exinde non sequatur SCTis auctoritatem iuris scripti esse, atque ipsum Senatum iura condere potuisse. Tandem exemplis rem conficere annitur. At qualia illa sunt? SCTa vel de rebus agunt, quarum cura Senatui commissa, exempli loco est SCTum A. V. C. DCLXXVII. factum de *quaestoriis prouinciis for-
tendis* & quod A. V. C. DCXCI. factum, de *legationibus liberis, vt
in annum durent*; vel tractant causas iam ipsis legibus decidas, qualis est prohibitio SCTi A. V. C. DCLVII. facti, *ne homo immola-
retur*, vel illius quo A. V. C. DLXVIII. *bacchanalia prohibita*. Legibus enim nulla sacra nisi publice recepta toleranda. Vel si ciuiles causas disposuerat SCTum nonnisi tacito populi consensu iuris ciuilis vim obtinebat, quod supra monstrauius. Quapropter nec Bachii sententiam defendunt exempla, quippe quae per se nunquam probant, sed illustrant.

§. IX.

Auctoritas SCrorum sub Imperatoribus.

Stat itaque sententia communis, qua sub libera republica

C

Sen-

Senatui ius condendi leges negatur. At aliam plane accipiunt SCta faciem sub Imperatoribus. Equidem iam sub AVGVSTO sub quo mos invaluit a Consule referente appellandi SCta, quod quidem sub libera republica vsu non frequentabatur, Senatusconsulta extant *Silanianum & Statilianum*, imo aliud quod ad legem Cinciam factam, & quo poena quadrupli ei posita, qui ob causam orandam quidquam cepisset, attamen nonnisi tacito populi suffragio auctoritatem iuris obtinere, donec Tiberius e campo in curiam transtulit comitia. Ab hoc sane tempore SCtorum auctoritas tanta fuit, ut iis ciuilia iura eaque scripta conderentur. Causam, quare id factum sit, licet spuriam, refert POMPONIVS veram dissimulans in *L. 2. §. 9. 7. de Orig. Iur.* Deinde, inquit, quia difficile plebs conuenire coepit, populus certe multo difficilior in tanta turba hominum; necessitas ipsa curam reipublicae ad Senatum deduxit. Ita coepit Senatus se interponere, & quidquid constitueret obseruabatur, idque appellabatur SCrum. Hanc rationem spuriam & ipse IVSTINIANVS in *§. 5. l. de Iur. nat. & gent.* suam fecit. Vera causa ea, quod facilius Senatus ad obsequium cogendus, ut ex tyrannide imperatoris ad eius arbitrium cuncta peragi possent, quam ipsa ciuium turba. Vix enim ex libero suffragio ipse Senatus quidquam statuit, quod probant orationes Principum, ad quas Senatusconsulta plerumque per acclamationes sub Caesaribus fieri solebant. Hinc Synonima *Principis Oratio & SCrum*, quod tritum ex HENR. OTT. & BOECKELEN *diff. de Orat. Princip.* Quare si accuratius rem ponderamus, patet, SCta palliam fuisse tyrannidis Imperatorum. Extat oratio SEVERI apud VLPIANVM in *L. 1. 7. de reb. eor. qui sub tut. sunt.* Verba illius orationis ita con-

concepta leguntur: *Praeterea Patres conscripti, interdican tutoribus & curatoribus, ne praedia rustica vel suburbana distrahant. Ipse Imperator refert, se interdicturum, non vero exigit, ut Senatus interdicit. Hinc HADRIANVS satis modesta formula orationis utebatur in Leg. 22. π. de hered. pet. Disspicite, inquit, Patres conscripti, nunquid aequius sit, possessorem non facere lucrum & pretium, quod ex re aliena perceperit, reddere.* Utebantur ergo Imperatores autoritate Senatus, ne ipsi viderentur populo romano dare leges; maxime cum adhuc tyrannidis suspicionem euitare studerent. Sicuti vero non omnium Imperatorum studia aequalia fuerunt, dum alii plus crudelitati, alii contra auaritiae, alii libidini, alii humanitati atque elementiae tribuerent, alii ipsi publicarum rerum curam gererent, alii contra alios eam committerent; factum est, ut prout diuersa erant Imperatorum studia, mox liberiori quoque iure vterentur in ferendis adeo legibus, mox restrictiori, ut nihil nisi quod princeps iuberet decernere possent. Quantacunque vero Senatus erant iura, hoc saltem fuit praecipuum, quod SCtis suis voluntati principum formam iuris scripti tribuerent. Et de hoc iure intelligendus videtur VLPIANVS in leg. 9. π. de LLbus. scribens: *Non ambigitur Senatum ius facere posse.* Sicuti vero primis temporibus Imperatorum eorum placita Senatus confirmaret, ita postea factum, ut quae Senatus decreuisset, Augusta potius voce confirmanda essent. SYMMACHVS *Lib. X. epist. 28. Superest, inquit, ut ea, quae serenitas Vestra patribus deliberanda proposuit, cognito SCto L. Augusta confirmet.* Et hic mos ferendam legum epistola generali ad Senatum Romanum data ab Imperatoribus THEODOSIO & VALENTINIANO confirmata, quam legem exhibet

hibet *L. 8. C. de legib. & Const. Princ.* cuiusque haec sunt verba: *Humanum esse probamus, si quid de caetero in publica, priuataque causa emerferit necessarium, quod formam generalem, & antiquis legibus non inferat exposcat, id ab omnibus antea tam proceribus nostri palatii, quam gloriosissimo coetu vestro, Patres Conscripti, tractari: & si vniuersis tam iudicibus, quam vobis placuerit, tum lecta dictari: & sic ea denuo collectis omnibus recenseri: & cum omnes consenserint, tunc demum in sacro nostri numinis consistorio recitari: vniuersorum consensus nostrae serenitatis auctoritate firmetur. Scitote igitur, Patres conscripti, non aliter in posterum legem a nostra clementia promulgandam, nisi supradicta forma fuerit obseruata. Bene enim cognoscimus, quod cum vestro consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri Imperii & ad nostram gloriam redundare. A quo vero tempore Imperatores suis Edictis vim perpetuae legis dabant, quae temporaria ab initio erant, cum in iis proponendis magistratus imitarentur, vel ob tribuniciam quam acceperant potestatem, vel ob Proconsulatum, vel ob morum iudicium, seu Praefecturam, & quae perpetui iuris auctoritatem demum vel Senatusconsultis vel assidua iurisdictione seu vsu obtinebant: factum est, vt Sctorum rarior vsus fieret. Cum enim constaret, vel adulatione Senatus vel tyrannide Imperatorum eo ventum esse, vt quidquid ab Imperatoribus ad Senatum referretur, ab eadem acclamatione comprobaretur, cessarunt paulatim hanc acclamationem prius requirere. Nihilominus interdum hic antiquus mos per Senatusconsulta principis arbitrium confirmandi seruatus fuit, quod vix excedit Constantini Magni tempora. Nolo hac sententia comprobare, omnem*

omnem Senatusconsultorum usum eo tempore cessasse; sed saltem eam auctoritatem, qua Imperatorum leges confirmabant. Post ea tempora vero inualuisse videtur mos ad Senatum *προβουλευτικῆς* tantum causa ea, quae in ius abire debebant, referendi vel oratione, vel quod frequentius factum esse arbitror, epistola ab Imperatore data, quod ex iis, quae supersunt in Codice ad Senatum datis Epistolis coniiicio. Et hoc probat maxime constitutio Theodosiana, quam dedimus ante. Factum est propterea, ut cum Senatusconsulta non amplius confirmarent Imperatorum placita, sed potius ipsa Senatusconsulta per principum auctoritatem confirmarentur, ut Senatusconsultorum mentio inter fontes ex quibus iura hauriuntur, amplius haud fiat, neque amplius adeo in libris iuris ciuillis Senatusconsulta allegentur. Posset quidem *SCtum Trebellianum nouum* a Iustiniano factum, in contrariam partem allegari: at, quis est, qui ignoret, non fuisse proprie illam legem Senatusconsultum, sed magis Edictum Imperatoris Iustiniani, cui in honorem veteris Senatusconsulti Trebelliani, ex quo confusum Pegasiano haec Constitutio origines ceperat, adpellationem SCti Trebelliani noui imposuerat.

S. X.

Epilogus.

Sed sunt haec, quae breuiter ex instituti ratione dicenda putauit. Nihil addo, quod ad fori usum spectat.

Frustra agerem, si quas sanctiones in S. Romano Imperio status confociati, populum Germaniae repraesentantes, conficiunt, ab Imperatore postea confirmandas, & sacra Imperatoria autoritate legis vi corroborandas, cum SCTis illis Romanis comparare vellem. Quantum enim forma Imperii nostri distat ab Imperio illorum Augustorum, qui ipsi Romanae rei praeerant! Adde tantum preces, velit L. B. iuuenilibus studiis assidua lectione nondum confirmatis & perfecto iudicii acumine perpolitus aliquid indulgere. Tantum praestiti saltem, quantum in viribus erat, ne ex partium studio iniquis iudicibus, qui haud raro nugatores probant, indignus plane videar, qui societati eruditae nomen addam.



Erfurt, Diss., 1770-73

ULB Halle

004 176 472




3

f

5b.





24

H. iur. 1. num. 22.

35

1773, 6

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIS
CIVILIS

DE

SENATVS CONSVL-
TORVM
VI ET AVTORITATE

Q V A M

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN PERANTIQA ELECTORALI MODO INSTAVRATA
EMMERICIANA ACADEMIA ERFVRTENSI

P R A E S I D E

FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO

DN. RVDOLPHO CHRISTOPH.
HENNE, IC^{TO}

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI
CONSILIARIO REGIMINIS, FACVLTATIS IVRIDICAE ET IVDICII PRO-
VINCIALIS ADSESSORE, CODICIS ET IVRIS FEVDALIS

PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,

PRO GRADV DOCTORIS

RITE OBTINENDO

DIE IV. OCTOBRIS ANNO MDCCLXXIII.

DEFENDET

A V T O R

IOANNES FRIDERICVS HAMMANNI

BVDISS. LVSAT.

EKFORDIAE, LITERIS HENRICI RVDOLPHI NONNIL,
ACAD, A TYP.

